

tur easdem literas Apostolicas eidem tunc præsentatas exsequi , secundum ipsarum literarum seriem & tenorem . Et insuper ipsi D. plebano & exsecutori Apostolico , præsentibus me Notario ac testibus infrascriptis , alias literas suprascripti D. N. Papæ clausas cum bulla plumbea ipsius D. N. Papæ ad cordulam canapis secundum ritum Rom. Cur. munitas , in quibus dicitur contineri juramentum , de quo in aliis literis fit mentio . Quarum quidem literarum secundo loco præsentatarum tenor per omnia sequitur , & est talis .

2. Forma juramenti .

507) Ego Antonius Michaelis plebanus Ecclesiæ S. Cassiani de Venetiis Castel. Dicec. ab hac hora in antea fidelis & obediens ero B. Petro , sanctæque Apostolicæ Rom. Ecclesiæ , ac D. nostro , D. Eugenio Papæ IV , suisque successoribus canonice intrantibus . Non ero in consilio , consensu , tractatu vel facto , ut vitam aut membrum perdant , seu quod contra alicujus eorum personam , vel in ipsorum , aut Ecclesiæ ejusdem , sive Sedis Apostolicæ auctoritatem , honoris , privilegiorum , jurium , vel Apostolicorum statutorum , ordinationum , reservationum , dispositionum , sive mandatorum derogationem vel præjudicium , machinationes aut conspirationes fiant . Et si , ac quotiens aliquid horum tentari sciverim , id ne fiat pro posse impediam : ac quantocius commode potero eidem D. N. vel alteri , per quem ad ipsius notitiam pervenire possit , significabo . Consilium vero , quod (in , *forse mihi*) per se , aut nuncios , seu literas credituri sunt ,